Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1513
Quelle:
Copyright:

ri hic unum e *Wiclefi* Scriptis, quod apud *Baleum* et *Tannerum* nomine *Physicae naturalis*, aut *Metaphysicae vulgaris*, aut *novellae* venit. Cum vero hi non adferant horum Scriptorum initia, et Rubricator noster jam a *fol.* 202. manum retraxerit, res in medio relinquenda est.

CCCCVII.

926 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 132. 4. commode perscriptus, et rubricis distinctus inscribitur: *De trinitate Wyclef*, et incipit: *Superest investigare de distinctione et conueniencia personarum* &c. Tractatus hic relatus alias in praesenti Exemplo subnotatur: *Explicit edicio siue tractatus de trinitate. Anno domini M° CCCC.* Pro vocibus quibusdam per decursum Librarius lacunas destituit.

II. *fol.* 85. Ejusdem *Wiclefi* Tractatus *de Tempore*, constans *Capp.* XIII. quorum Summaria in *Codice* praecedunt, nulla tamen Autoris facta mentione, quem partim e *Tanneri Bibl. Brit. Hib.* ubi Exemplar *ms.* Eccl. Cathedr. *Lincoln.* citatur, eruo, partim ex ipsa Scriptionis indole, quae Metaphysicae limites non raro egressa in Theologica incurrit, praecipue *Capp.* posterioribus, ubi de triplici vnitate in Deo, de Irremissibilitate Peccati in Spiritum S. &c. Initium est: *In tractando de tempore sunt aliqua ex dictis superius capienda* &c. Igitur nexus est praesens Tractatus cum praecedente quodam, qui fortassis ille est, quem *Baleus* et *Tannerus* de *Temporis Quidditate* inscribunt. Noster finit: *Subtrahendo ab eo orationis suffragium.*

III. *fol.* 125. p. 2. alia, admodum difficili manu adjecta est Dissertatio: *Quomodo christianus ad ministrandum disponi debet et digne recipiendum sacramentum corporis christi.* Init: *Docet apostolus I. Cor. XI. sic dicens. Probet autem seipsum homo* &c. Cum inter *Wiclefiana* intercepta sit, fortassis ad illum quoque pertineat, sequitur enim;

IV. *fol.* 129. p. 2. *Wiclefi* Epistola ad *Vrbanum* Papam jam saepius indicata, et incipiens: *Gaudeo plane detegere* &c.

CCCCVIII.

Codex chartaceus lat. Sec. 936
XV. Folior. 173. 4. charactere crassiusculo exaratus, rubricis distinctus, notulis marginum, etiam *bohemicis* adspersus, et olim *Wenceslai Rossii* saepe memorati Sacerdotis *Presorouiensis*, qui inter alia levioris momenti Φαινομενον etiam quoddam in occasu Solis hora 24. anno 1541. Dominica post D. *Mathiae Wlassimii* observatum *bohemice* ad calcem descripsit, continet Opus illud exegeticum, quod indicavi *Cod.* CCCXCVII. inscriptum *De Abominatione*, quod vero hic sequentem Rubricam praefert: *Incipit de XII abhominacione in loco sancto, Capitulum primum quod*